

C-72011

44665/B



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30516948>



9 B 0

19926

D E
NONNVLIS PLANTIS
QVAE PRO
VENENATIS HABENTVR
OBSERVATIONES
ET EXPERIMENTA
A PETRO ROSSI
FLORENTIAE INSTITUTA.



P I S I S A. D. CIC 10 CC LXII.

IO. PAVL. GIOVANNELLI CVM SOC.

Excluſ. Sup. Permiss.



3 (III) 3

ORNATISSIMO VIRO
JOANNI LAPI
IN NOSOCOMIO REGIO
SANCTAE MARIAE NOVAE
Botanices Lectori Publico
PETRVS ROSSI FLOR.

S. P. D.

• 16 * * * * Seco

CVM in Horto essemus Bota-
nico , Vir ornatissime , ibi-
que pro loci et temporis
opportunitate plantarum varietatem
admirantes intueremur , accidit ut
in subiecta materia sermonem invi-
cem habentes diu , multumque ver-
fati simus . Quid enim commodius ,

A 2 quid

(IV)

quid utilius in Horto ob Regalem
CAESARIS munificentiam , et Pa-
ternam vigilantiam cunctis fere , quae
in universo Terrarum Orbe reperian-
tur , plantis ac seminibus locupleta-
to ? Quid autem delectabilius , quid
jucundius mihi pendenti ex ore vi-
ri cum omnigena , tum praesertim
Botanices eruditione instructi ? Cum
vero sic spatiantes aliquando ad To-
xico-dendron venissemus multa tum
ipse pro re nata de venenatis Plantis
subtiliter , atque erudite differuisti .
Haec cum ego avide exciperem , ta-
citusque apud me reputarem , plu-
rima coepi alia ex aliis cogitare .
Quid plura ? In mentem venit ali-
quid aggredi , atque in iisdem Plan-
tis , quae venenum habere dicuntur ,
experimenta sumere , quibus earum
vim atque efficaciam , quam semper
suspi-

suspicatus sum ob climatis et soli
et aëris diversitatem variare posse,
penitus explorarem, ac veluti intro-
spicerem. Consilium, ut scis, pro-
basti meum, quemque verbis exci-
taveras, auctoritate confirmasti. Ergo
ad experimenta me contuli, quod-
que post illa sumpta comperi, scri-
pto etiam tradere haud abs re exi-
stimavi, et tecum hoc ipsum, qua-
lecumque est, communicatum volui.
Pro tua humanitate igitur legas,
idque eo animo excipias quo me
semper complexus es.

Toxico-dendron, hoc est ar-
bor veneni, Planta est satis nota,
a qua semper metui tamquam a pae-
sentissimo veneno. Sciebam enim
quid tu Lapi referres accidisse in
Horto Botanico Nosocomii S. M. N.
juvenes scilicet duo Botanicae studiis
dedi-

(VI)

deditos dum instillato in faciem succo Toxicodendri nigerrimum stigma, ceu elegantem naevum parare sibi ad venustatem studerent, aliqua statim quamvis levi inflammatione correptos fuisse, quo factum est ut discerent imprudenti homini, nec dum satis erudito abstinendum esse a contrectatione harum Plantarum. Ego ipse licet alieno periculo admonitus, tamen experimenta dum instituo in hac Planta manus habui aliquandiu prurientes, ablutione tamen aquae calidae et aceti sanatas. Si externo appulsu et levi contactu tales excitat turbas, quas, aiebam, succus intro sumptus non movebit? Cupidus interea videndi quid praestaret canem elegi parvum, docilem, juvenem, ipsique jejuno frustula tria carnis succo e Toxicodendro

¶ (VII) ¶

dendro expresso bene imbuta tradi-
di, fastidiose comedit, mox etiam
morosior factus, duabus horis ab esu
carnis in latus decubuit levi iden-
tidem convulsione seu potius tremo-
re, quod in canibus timidis non
insolens est, percitus fuit. Serius
deinde aliquid subesse convulsivi ad
imum ventrem animadvertere visus
sum. Mane laetum reviso, fameli-
cum, omnique suspicione veneni li-
berum. Vrgendum denuo canem esse
decrevi; quare dimidiam unciam suc-
ci e tota planta expressi bibendam
cani apposui. Bibit, diu ego expe-
ctavi convulsiones, vomitus, tremi-
tus, furorem, veneni symptomata,
sed frustra. Qui fiunt haec mecum
ajo? Infringeret ne vim veneni con-
tusio et expressio plantae? Suc-
cus certe hac arte paratus subviri-
dis

dis est , ille qui mihi et juvenibus obfuit ex lacteo colore. Ideo suspicabar posse aliquid per contusio- nem commisceri cum succo qui sponte de concisa Planta manat quod virtutem ejus eluderet . Ergo majori opus esse patientia judicavi. Frustula itaque carnis sumo , et rup- tis plurimis Toxico-dendri farmentis succum lacteum parce , et difficul- ter effluentem in carnem infunde- bam , donec tandem et labore mul- to et tempore succo omnino im- butam cognovi . Illico cani eidem praebeo , avide comedit , nullum profecto symptoma observatum . Tum dolui et diligentiam meam , et laborem irrita omnino fuisse .

Rursus ad succum expressum re- dii , dosim auxi , canem novum ad- duxi , neque tamen ulla veneni in- dicia .

dicia. Radicem Plantae cum carne contudi, obieci caniculae gravidae ut comederet, parum sumpsit, reliqua portio vi ingesta, nullus effectus tamen.

Denuo altera die in alterius canis stomachum uncias duas succi expressi immitto, statim tussiculosus factus est ob distorsiones, et conatus quibus potum respuebat, decidit fortasse in glottidis partes aliqua succi gutta, ex qua tussis repente excita. Tota die subtristis, et melancholicus visus, quod minime novum, temperamento quippe erat melanchlico.

Tandem per cruralem venam succum infundere tentavi, tumor obortus illico, ob effusum per cellularum forte succum, duabus horis ab infusione uti de more tremens

tem invenio, humi stratum sub vesperas vidi. Vulnus modica deinceps excitata suppuratione post aliquot dies convaluit.

Postremo periculum feci in gallo. Vncias duas contusae radicis Toxicodendri ut ingurgitaret viactum est. Paucis ab hinc horis ad examen ingluviem deduximus, eamque prorsus vacuam invenimus, laetus tamen erat, vividusque persistit.

Solanum graece μελανοκεράσος dicitum, ob effectus infaustos maniacum, furiosum, lethale. Sunt qui putant illud conferre pulchritudini mulierum, aut jucunda excitare venerea deliria, ob id minus vere (1) Belladona nominatur.

Plan-

(1) Joan. Franc. Seguier. in Plant. Veron Synopsi. Hujus nominis etymologiam potius

Planta est apud Medicos , et Botanicos satis nota . Innumerae feruntur historiae de veneficis ejus affectionibus . Tu quibus sim expertus paucis habe .

Canem magnitudine modica , aetatis mediae , valde mansuetum , aliarum , quae venenatae dicuntur , Plantarum succos impune expertum Solani foliorum viroso succo , aggredimur , unciam audacter ebit , ac quasi aliquid grati objecisset laetus labia , et nares lingua lambebat , expectabam quo evaderet tanta hilaritas atque constantia . En horae dimidiae spatio molestior fit , consuetudinem odit , levi corripitur nausea , linguam per fauces studiose

B 2 versat ,

tius ducendam putat a verbo Bellonaria , quod in bello ad cuspides tingendas , et inficiendas illa uterentur , quippe sauciis sua mordaci et venefica valde noxia est .

§ (XII) §

versat ; non aliter quam si quid intra dentes haerens divellere conaretur , fiticulosus fit , aquam et multam et saepe bibit ; horarum duarum spatio in pristinam restituitur sanitatem . Adeo ne levia symptomata tam grave venenum edidit ? Aliquid subesse in experimento non bene animadversum verebar , quapropter eundem canem altera die eligo , experimentum repeto , exitus idem . Tum de dose suspicio oborta . Quare alteri jejuno cani non magnitudine sed natura diverso , vivido scilicet impudentique succi de tota planta expressi uncias tres praebeo . Illico linguam agitare coepit per buccas , maxillamque inferiorem celeriter dimovere , salivam albicanem et spumosam effundere , levi identidem laborare interna con-

vul-

vulsione vix attente consideranti manifesta. Post sex circiter minuta fere composuit, vinculisque solutus deambulavit de more, at vividior et alacrior mihi visus. Itane languidum jejunio canem excitavit succus Solani, quemadmodum levi stimulo de syncope revocat cardiacum? Nonne nausea et spumosa saliva tam brevi tempore diffluens, si ulla, certe parva de veneno Plantae indicia praebent? Sane jura suavissima, et gratissimi cibi quandoque languenti stomacho exhibiti nauseam et vomitum ipsum creant. Masticatio ipsa, et sialagogia medicamenta ingentem saepe ad fauces salivae fluxum provocant, neque tamen venena dicuntur.

Succum baccarum Solani in modica et multa dose quemadmodum, et succum expressum a tota Planta
saepe

saepe salivæ modicum fluxum induisse observavimus.

Haec cum vidissem, experiri voleui num in imum ventrem infusus Plantæ succus animalia in motus adigeret insolentes. In castrato cane experimentum instituitur. Abdomen cultro aperitur, et in ventrem succi uncias duas immittimus, ne vulnus pateret sutura provisum est. Ex eo tempore adeo constans fuit in suis functionibus et liber, ut omnem prorsus metum adimeret videndi convulsum, dolentem, tetris correptum symptomatibus. Quandoque etiam oculos succo pluma madda tetigimus, lacrymas tamen neque effundere vidimus, neque ullo inflammationis ac doloris signo perturbari. Hoc idem in gallis, pullis, aviculis observavimus, eundemque semper existum animadvertisimus.

Cicu-

Cicuta major seu terrestris, quae efficax hac aetate habetur medicamentum ad frigidos tumores resolvendos, ad scirrhos ipsos et carcinomata edomanda, inter venena jacebat ceu res infausta, totique hominum generi infensissima. Audax propterea nimium et temerarium hujusmodi venena intus experiri Etmullero videbatur. Infame satis erat nomen Cicutae, et Socratica morte, et Wepferianis animadversionibus, nam Wepferus Plantam genere affinem Sium Danubii fontibus innascendentem acerrime venenatam Cicutam aquaticam appellavit. Inde factum est ut a Cicuta terrore nominis decepti Medici passim abhorrerent. At celeberrimus Störkius spreto veterum, recentiorumque Medicorum timore e frigido veneno nobile composuit salutare, tutoque intus sumendum medicamentum.

tum. Quod cum ficeret, illud quidem visus est docere, scilicet, pro difficillimis morbis ea eligenda remedia, quae efficaciora sint, quaeve commovere valeant corpus universum, sed illud etiam sic tradidit, ut nempe ingenio, arte, et circumspectione multa opus sit iis, qui eadem velint remedia adhibere. Quanta cum admiratione exceptae nobis fuerint Störkianae observationes tu ipse scis Lapi ornatissime? Idemque etiam testis es quoties periculum facere desideraverim. Nobis vero talia cupientibus satisfecerunt tum vir in re Chirurgica clarissimus Angelus Nannius, cum alter etiam Chirurgus, qui virgines duas in quibus experimenta fierent, pro sua quisque industria elegere. En autem facti series.

Mulier annum agens sextum supra quadragesimum nunquam juncta marito

marito, temperamenti pituitosi, pallidae faciei, a pubertate usque ad praedictam aetatem copiosis lunari- bus purgationibus constanti ordine non destituta, Ex labore ingenti (si hac in re foeminae habenda est fides) incidit in fluorem album men- strua nunquam perturbantem. Fluor adhuc perseverat, menstrua vero de- colora et parcus, suis tamen tem- poribus fluunt, nulla unquam vexata aegritudine, sat laeta. Tribus ab hinc annis circiter tumorem in mam- ma dextera cicerem aequantem ma- gnitudine, et mobilem sibi natum sensit. Causa nulla, nisi compressio per vestes facta. Tumor per menses aliquot haeret immutabilis, sensim vero fit major, ita ut altero anno totam occuparet mammam, quae du- ra facta adeo intumuit, ut duplo al-

C teram

(XVIII)

teram magnitudine superaret, puncturis identidem molestus fit tumor modo mammae, modo brachio dextero. In dies crescit dolor, pulsans fit tumor, febris supervenit, tandem inferius suppurat, decrescit postremo, et post menses octo fit ulcus apertum subflavi coloris saniem subrubeam causticam eructans. Labia retorta dura ad basim scirrum habentia. Novum sed parvum, at ejusdem indolis ad areolam fit ulcus. Tumor cum ulceribus pugnum aequat magnitudine, aegram non levi incommodo saepe afficiens. Per dies nonnullos ulcerata purgat Nannonius aqua simplici, et linamentis carptis tegit. Kalendis Quintilibus 1761. emplastrum de Cicuta superimponitur ulceri, et grana octo extracti de Cicuta devoranda quotidie exhibentur, nihil prorsus novi

novi evenit. Aliquo dierum spatio sensim dosis aucta usque ad grana viginti. Saepe conquesta est de dolore lancinante ad mammam, ad brachium, ad scapulam ejusdem partis. Nox una tantum vigiliis molesta, et alvi perturbatione (ex errore forte in dieta, qui aegris familiaris est) quae omnia post dejectiones multas spumosas, et imi ventris tormenta viginti quatuor horarum spatio evanuerunt. Fere semper puncturae aderant in mamma. Emplastrum de Cicuta, qua usq; semper fuit, an illi hos effecerit dolores? profecto vetulae cuidam eodem morbo lecto decumbenti idipsum evenit, imo e carcinomate sublato emplastro, et puncturae, et dolores, et parvae haemorrhagiae finem habuere.

Virgo annum agens decimum septimum, temperamenti sanguinei - biliosi, habitus corporis macrioris, coloris optimi, cibis usq; est ob paupertatem incongruis. A teneris annis coepit laborare tumoribus duris per collum universum, et sub maxilla inferiore interrupto ordine sparsis quos scrophulas vocant. Pubertatis tempore menstrua apparuere parca, (nunquam tamen interrupta) licet ea aetate toti corpori mutationes accidant ingentes, nullae tamen tumoribus. Solum nonnulli sub maxilla, et ad ejus angulum positi suppurarunt, at non prorsus evanuere, nam eorum basis nunquam resoluta est, sed diu mansit dura callosa non precipitato rubro, non infernali lapidi obtemperans. Ulcera tamen saepe convaluere, sed brevi tempore novis obor-

obortis suppurationibus nova ulcera apparuerunt. Ad Nosocomium se consultulit tribus hiantibus ulceribus cum fundo duro, ac fere scirrhoso. Tumores duri ad collum, ad parotidem, sub maxilla inferiori numero multi, magnitudine inaequales, non invicem communicantes, mobiles plerique observati sunt. Chirurgus totus erat in curandis ulceribus, Medicus vero in resolvendis, et prorsus fugandis tumoribus, ille palliativam, hic eradicativam, ut ajunt, curationem moliebatur. Quare extractum de Cicuta proposuit, et exhibuit a granis sex usque ad duodecim. Ulcera quemadmodum alias clausa fuere, verum tumores nequaquam resoluti.

Per mensem integrum utraque foemina medicamento usa est. Aetate provectior vietus rationem, resque omnes

omnes non naturales tanti fecit quanti aestimavit Lucas Martini Medicus expertus, et eruditissimus. Altera parum solicita de his omnibus. Verum utraque diurnitatis tandem pertaesfa, cum nihil proficere medicamentum putaret, recusavit Medico obtemperare, spredoque medicamento ad pristinam vivendi rationem se contulit.

Usum ergo extracti Cicutae terrestris neque obesse morbis, neque prodesse hic perspici potest. Sed ego illud etiam cognoscere optavi num Planta, recensque ejus succus nulla arte commutatus majoris virtutis indicia paeberet.

Itaque impudentem illum canem, de quo supra, qui que Solani vim eluserat, ad experimenta revoco. Succei e Cicuta recenti expressi uncias duas

duas in ejus stomachum magno labore immitto. Nihil novi observatum. Experimentum in dose aucta saepe incassum renovatum est.

Alia aggredi via decretum est. Canem detineo novis periculis, quae animo versabam, devotum. Bene magnam Cicutae copiam sumo, in cumulum redigo, jamque massa intumescens fermentatione calet, et illi-
co tantus tamque acriter nares percellens excitatus est foetor, ut non modo domesticos, sed vicinos etiam exturbaverit. Ex hac succum odore infensissimum paro, et portionem non modicam in os canis infundo, degluttit magnis conatibus, et sine ullo prorsus incommodo digerit.

Ad Cicutae radicem tum me contuli, ejusdemque contusae portio alteri cani exhibetur. Non rubor,
non

non dolor non tumor in lingua
et faucibus apparuerunt, licet e con-
tra eam gustare volens Störkius pe-
riculoso exitu expertus est.

Canes dimitto, pullum sumo qui
unciam cum dimidio succi expressi
in ingluviem ope syphonis recepit,
neque ullum signum veneni depre-
hensum est.

Haec ego expertus sum, mira-
beris fortasse, ego certe miratus sum,
nulla aut saltem exigua indicia vene-
ni has Plantas exhibuisse, quae ta-
men apud omnes Medicos vulgari no-
mine venena nuncupantur.

Sed ut cognoscas, imo vero uno
quasi intuitu quae ipsi hac de re
senserint videas, legi ego quamplu-
rimos, sententias collegi, collectas-
que hic percensere volui. Veteres
igitur Medici in Dioscoridis verba
juran-

jurantes una voce venenatam Cicutam terrestrem dixerunt. Ipse enim Dioscorides (1) scripserat Η κατὰ Ψόξην αὐαιρέειν hoc est vi refrigeratoria enecans Η Hanc Galenus plurimis in locis, ne ab ejus antiquo praeceptore discederet, frigidissimam et enecantem vocat, Aetius extreme frigidam dicit, eamque ob causam enecantem.

Saeculo XIII. acerrima lis orta est inter Medicos de Cicutae affectionibus. Qui Dioscoridi, et Galeno addicti erant frigidam et enecantem, caeteri calidam minimeque interimen-tem volebant. Santes de Ardoynis (2) dum prolixa oratione harum dissensionum historiam narrat etiam nobis significat litem fortasse hanc in-

D de

(1) *Mat. Med. lib. 4. Cap. 79.*

(2) *Tract. 3. Cap. 62. de Venen.*

(XXVI)

de ortam fuisse, quod male interpretarentur Averroem, et Cicutam omnem, sive haec nascatur in locis aquaticis sive terrestribus (qua distinctione a nonnullis finis forte quaestionibus imponebatur) frigidam esse, venenosam, interimentem dicerent.

Wepferus (1) tandem Cicutam majorem = particulis calidis, acridis, ferocibus, aut aliter efficacibus... agere in corpus nostrum = putat, quod ut probet in medium affert Matthioli autoritatem. Hic in commentariis Dioscoridis (2) narrat historiam vinitoris cuiusdam qui cum uxore radices Cictae terrestris coctas in coena comedit. Media nocte ratione penitus amissa, furore ambo percipi-

(1) Hist. Cic. Aquat. Cap. 3.

(2) Lib. 6. Cap. 11.

(XXVII)

perciti excitantur, et facie ac capite in parietem incurrentes praeter modum faciem deturparunt. Praeterea de Religioso Franciscano refert per menses modo fuisse amantem, modo furentem, quod Cicutae terrestris folia pro petroselino comedisset. Tandem Francisci Trapolini furorem et mortem ab esu Cicutae repetit. Sed nimius essem si historias omnes persequi vellem deleteriam Cicutae vim confirmantes. Plinius enim, Cardanus, notante Sennerto (1) Smetius (2) Joannes Bauhinus (3) Simon Paulli (4) Amatus Lusitanus (5) Artmannus (6) Etmulle-

D 2

rus

(1) Pract. lib. 1. Cap. 20.

(2) Miscell. lib. 10. ad an. 1591. p. m. 569.

(3) Hist. plant. univ. lib. 27. Cap. 79.

(4) In digres. de febrib. Cap. 1.

(5) Cap. 1.

(6) In Cynos. Med.

§ (XXVIII) §

rus (1) aliquique multi venenum Cicutae terrestris uno ore praedicant. Postremo ut de omnibus sileam Boerhaavius (2) haec habet = alia violenta quidem sunt et acria venena, ita tamen ut simul quasi viscosa in ventriculo haerentia, et singulari modo cerebrum nervosque inde sufficientia ut sunt Cicuta major, minor petroselino similis, aquatica Gesneri Solanum = In hanc igitur classem Boerhaavius, ut in nui, Solanum redigit, de cuius venenata indole non minora habemus testimonia, Chomel enim (3) usum hujus Plantae internum perniciosum vocat, (4) externum autem in can-

cris

(1) *Cap. de Cicut.*

(2) *In tract. de Antidot.* §. 1138.

(3) *Abregè de l' Histoire des Plant.*

(4) M. Marteau *tinctura Belladonae ferrinam*

(XXIX)

cris scirrhisque mammarum proficuum. Camerarius referente Wepfero (1) dira enarrat symptomata, quibus correptus fuit puer ex incaute esu fructus Solani. Geoffroy (2) porro tanta tamque accurata et erudita profert de hac Planta, ut nihil optandum relinquat. Haec itaque habet ≈ Belladona somnifera est et maligna, baccæ comesae in summum vitae discrimen hominem inducunt, et plerumque mortem tenellis afferrunt, quod multis experimentis et

exem-

rinam phthisici tussim curasse affirmat. Imo fatetur hac sua methodo nulla ex iis, quae a Lambergen, et Darluc in administranda Belladona observata sunt, mala phaenomena aegris suis accidisse. M. Collignon carcinoma enorme prorsus se curasse, et M. Vanden Block scirrum usu Belladonae narrant. Vid. Journal de Medicine &c. par. M. Vandermonde Janvier 1763. et Fevrier 1763.

(1) In hist. Cicutæ.

(2) Tract. de mat. med.

exemplis constat. De quibusdam adolescentulis Anglis in adversariis Lobelii fit mentio, qui cum, per imprudentiam peregre sitibundi baccas illas inesitassent, lymphatici et semi-sepulti somno interierunt. Bodaeus a Stapel refert 586. Hist. Plant. adolescentulos duos Lugd. Batav. in Horto Medico ex imprudentia baccas duas tresve devorasse, et postero quidem die alterum obiisse, alterum admodum periculose laborantem evasisse. Simon Paulli in Quadrip. Botan. narrat quasdam filiolas quinquennes, et septennes harum baccarum esu ad Orci fauces perductas fuisse, quas, una excepta, ipse remediis alexipharmacis eripuit. Accidit Romae referente Hocchstetero Dec. ad Obs. 7. quosdam de famulitio cuiusdam Cardinalis infudisse in vino
Mal-

33 (XXXI) 33

Malvatico Belladonam per noctem,
ut hujus herbae effectus discerent.
Infusum hoc propinaverunt Fratri cui-
dam mendicanti. Primo breve deli-
rium, cachinni, gesticulationes variae,
dein insania vera, postea stupor men-
tis, qualis est ebriorum vigilantium.
Medicus qui hujus morbi causam sub-
olfecerat, aceti cyatho propinato, a-
mentia, quam Belladona causave-
rat, eum liberavit. Acetum enim,
aut succus limonum pro hujus vene-
ni antidotis habentur = Haec ille.

In Actis vero Academiae Leo-
poldo-Carolinae (1) Michael Bernar-
dus Valentini de venenata, et dele-
teria qualitate radicis Solani differens,
(de baccis vero parum sollicitus fuit
cum penes omnes Botanicos, et Me-
dicos exempla possint afferri et mul-
ta et

(1) *Observ.* 119.

ta et funesta) narrat nonnullos empiricos radice Solani arthritidem vagam se curaturos audacter promisisse, atque Conradum Wagnerum periculum facere ausum esse in Christophoro Walthero cive Lisbergense, qui arthritide laborabat, Waltherumque obiisse; obiisse autem radicis virulentia satis demonstrat iudicium contra Wagnerum prolatum a DD. facultatis Medicæ Gissenæ.

De Planta verò Toxicodendri quamquam perpauci scriptores loquuntur, ad confirmandam tamen ejus qualitatem venenatam habemus quae Boerhaavius (1) ait ≡ Haec Planta tam vehementissime venenata est, ut illa dicatur omne animalium genus necare, hinc a nullis insectis comeditur, et numquam haec in ea inveniuntur

(1) *Hist. plant.* p. 664.

(XXXIII)

tur = Dionysius etiam (1) Joncquetus Medicus Parisiensis arborem venenatam appellare solebat. Tournefortius, et Linnaeus duas species asserunt Toxicodendri, unam omnino venenatam vocant, alterius vero indolem silentio praetereunt, quod fortassis cum ad idem genus pertineat utraque iisdem pollere facultatibus credendum est. De hac nihil profero cum experimentis caream.

Planta Toxicodendri, quam habemus in Horto Botanico, et quasi sumus in nostris experimentis illa est, annuente praesertim Antonio Durazzino in re Botanica versatissimo, quam Tournefortius appellat = Toxicodendron triphyllum folio sinuato pubescente = et Linnaeus (2)

E Rhus

(1) Ex Boerb. Inst. Plant. l. c.

(2) Lib. de Spec. Plant. Pag. 266.
N. 6.

Rhus foliis ternatis, foliolis petiolatis, angulatis, pubescentibus. Ille approbante Joncqueto, hic Rajo, venenatam dicunt

Qua ratione autem Antonius Micheli in Horto Botanico Florentino dixe-

N. 6. et 7.

N. 6. *Rhus* foliis ternatis, foliolis petiolatis ovatis nudis integerrimis, caule radicante. *Hort. Cliff.* 110.

Hedera trifolia Canadensis Corn. Cana. 96. t. 97. Barr. p. 228.

Toxico-dendron amplexicaule foliis minoribus glabris. Dill. *Elth.* 589. t. 291. fig. 365.

N. 7. *Rhus* foliis ternatis, foliolis petiolatis, angulatis, pubescentibus.

Rhus foliis ternatis, foliolis petiolatis, ovatis, acutis, pubescentibus nunc integris, nunc sinuatis. Gron. *Virg.* 149.

Toxico-dendron triphyllum folio sinuato pubescente. Tournefort. *Inst.* pag. 611.

Arbor trifolia venenata Virginiana folio hirsuto Raij *Inst.* 1799.

Viget in *Virginia*, *Canada* &c. et bacca nostra est.

dixerit existere illam , minime hanc , mihi non satis constat . Altera fortasse periit , et nova haec in Hortum inducta .

Quamvis narret Boerhaavius ab hac Planta refugere omne animantium genus , eademque interimi , ut pravam ejus indolem significet , tamen Plantas quas habemus Toxicodendri in Horto nostro Florentino , quandoque infecta (1) quaedam pertunt , easque pervagantur , strepituque excitata avolant inoffensa . Num vero iisdem , veluti cibo , an vero tantum sese commovendi desiderio uti

E 2 ament ,

(1) Haec infecta cum thecas habeant rubras maculatas antennas quatuor , dorsum planum , corpus oblongo - rotundum , nigrum inferius juxta Linnaei Syst. Nat. claf. 2. ord. 2. gen. 172. ad genera Cimicum pertinere videntur . Observatio haec incepta fuit cum flores a Planta ceciderant .

(XXXVI)

ament, nondum satis compertum est (1).

En tibi casus varios , historias , authoritates hominum integritate , et scientia spectatissimorum de benefica , et deleteria harum Plantarum indole consentientes . Aliae bene multae non desunt , quas attulissem nisi illas proposito meo sufficere cognoscere , metusque obortus ne tibi molestiam parerent dissuasisset . Verum si aliis in locis hominum generi lethales fuisse perspicuum est , adhuc , quod sciam , nostra hac Regione dubia res erat et obscura .

Optan-

(1) Novissime vero , cum Planta modo florida esset , insecta quamplura diversi generis inventa fuere . Vidi nempe araneas , quae tela ducta ibi domicilium habebant , muscas , formicas , limaces , et vespas vulgares haud dubie comedentes flores , nam hae per aliquot dies constantes in illa permanere observatae sunt ; quae si fuissent expulsae , tamen statim redibant .

(XXXVII)

Optandum igitur fuit, ut Regio haec nostra ab hoc metu, ancipiti-que discrimine vindicata tuto ipsis uti posset, vel admonita de earum virulentia, et confirmata abhorreret earum adspectum, sciretque periculosum esse earumdem usum.

Vetitum experimenta hujusmodi in hominibus capere et nefas. In brutis suspecta res est et dubia; noxiū enim, ajunt, quod illis saepe est, his innocuum compertum, ideoque experimenta suscepta in brutis non eadem promittunt symptoma in hominibus. Iis ita loquentibus libentissime concedam officere hominibus substantias, quae brutis nihil afferunt incommodi. Verumtamen hae res non ob activitatem suam nocere saepe videntur, sed potius ob depravatum conditorum varietate stoma-

(XXXVIII)

stomachum , aut ob laesam imaginationem , aut saepe etiam ob molliiem et quamdam delicatioris gustus vanam ostentationem . Verum cum agitur de venenis per acrimoniam , et impetum agentibus exitus videtur alius , aequa enim hominum vitam , et brutorum funestis turbari morbis dolemus . Saepe etiam terrifica , ac violenta morte abripi intuemur . Quas enim turbas , imo quas strages in brutis , perinde et hominibus non edidit morsus viperæ , arsenicum , sublimatum corrosivum , Cicuta aquatica Wepferi , et alia id genus venena ? Quae vero de Nerio narrat Dioscorides (1) canibus , asinis , et mulis veneno , hominibus vero ad venenatarum bestiarum morsus sanandos antidoto , nescio quanti facienda sint ,

(1) Lib. 4. Cap. 74. ex Lindestolpje.

da sint, cum Galenus (1) et bestiis et hominibus hunc fruticem periculosum vocet.

Quamquam ne vetera commemo-rem, hujusmodi vulgaribus observa-tionibus tempora haec nostra satis abundant. Ut multas mittam, eam de semine Ervi (a nostratibus gir-li dicto) enarrabo. Rustici una voce affirmant ab hujusmodi se-mine gallinas et sues veneno affi-ci, boves vero mirifice saginari. Experimenta, inquam, rem expe-dient. Quapropter gallos duos et pullum (sues enim perdere poten-tiorum est) sumo, illis Ervum li-beraliter appono, huic milium cum Ervo, uterque et voracissime et in-genti copia comedit, pullus item Ervum una cum milio (milium

con-

(1) *Lib. 7. de Simplic.*

concedimus, ut si Ervum non di-
gerat, quae nostra suspicio, milio
sustentetur) aquam saepe ebiberunt
omnes. Illi die occubuere tertio; hic
diutius vitam traxit. Omnium mors
placidissima. Quae fuerit causa mor-
tis cultro Anatomico quaesivi. Ve-
rum cerebrum, praecordia, intestina,
caeteraque viscera integerrima obser-
vavi. Stomachus prorsus vacuus erat.
Ingluvies vero nulla veneni semita
distincta, tantum tumidis seminibus
nequaquam ob durissimum corticem
maceratis immodice distenta. Haec
distentio, haec plethora, causane
fuit eorum interitus? Profecto equos
hordei semine immoderate pastos obi-
isse mortem veterinarii affirmant.
Quantitate nimia cibos optimos quan-
doque helluones occidisse narrant hi-
storiae. Corpora siquidem omnino
mul-

multa si magna mole ingerantur ve-
nena sunt.

Ita ne popularis illa vox de Ervi
veneno tam breviter experimentis
compressa est? Non mirum, rusti-
corum enim hominum genus neque
causas rerum perquirere, neque cir-
cumstantias animadvertere assuetum,
phaenomena ex apparenti quadam fal-
laci veritatis specie judicat, et sae-
pe e peculiari quodam eventu uni-
versale constituit effatum. His ad-
damne quae Galenus de Cicuta nar-
rat, quae canit Lucretius, eam et
sturnos alere, et barbigeras pecudes
nutrire, quae est bovibus et homi-
ni acre venenum? Quae item de co-
turnicibus et sturnis napellum et
elleborum impune comedentibus, et
alia sexcenta hujusmodi? Saltem ut
de his dubitem liceat, donec quis

F me

me experimentis doceat, et diligenter observationibus mihi persuadeat num haec animalia a nativitate assueverint illis venenis, utrum magna copia ingerant, quo tempore, quibus antea comedis cibis, an sese nutriendi causa, an naturae impetu necessitati propriae consulentis excitata, quemadmodum saepe gallinaceum genus in silices, et vitri frustula ferri, eaque avidissime devorare, et canes, ut molestiis stomachi liberentur, sibi alvi fluxum movere quibusdam plantis, quas sponte per campos feligunt, observamus. Praeterea scire cuperem quibus in regionibus haec contigerint, cuius ibi indolis plantae, quantae activitatis, palustres ne, an alpinæ, quae omnia et alia cum silentio praeterantur, praeterire et me sinant autores

(XLIII)

Etores haec enarrantes hujusmodi observationes tamquam dubias.

Scio tamen nonnullos praeclarissimos scriptores quibus placet asserere viventia corpora robusta magis veneno affici quam imbecillia. Quamquam hoc et praxi (1) et purgantium effectuum historia in dubium revocari possit, tamen etiamsi verum sit quod ipsi fatentur discriminem effectuum veneni non ita magnum erit, ut etiam veneni indicia in utrisque satis superque non cognoscantur. Citius et violentius forte in illis, in his tardius, et imbecillius, tamen in utrisque venenorum vis nota erit.

Neque pariter omnino veneni actionem retundet viventis animalis

F 2 ma-

(1) Ramazzini de literat. morb. Cap. 41. M. Sauvages Dissert. Dei medicamenti, che attaccano alcune determinate parti. Pag. 37. Edizione Fiorentina.

magnitudo , quamquam diversitatem non exiguum potius haec , quam robur in venenorum actione producere possit . Quod et ratione , et authoritate affir- mat doctissimus Brogianus nulli se- cundus in historia venenorum quibus animalia afficiuntur summa cum dili- gentia absoluta ≡ Id enim , inquit il- le , (1) observatum est toxicum illud (hoc est animalium , cum de eo prae- cipue differat , nobis vero liceat addere et plantarum) caeteris paribus agere in proportione inversa magnitudinis tenuitatis vivi corporis cui admisce- tur . Cujus rei causam perquimenti nulla occurrit verosimilior , quam quae ex analogica infertur observatione . Id er- go corporibus fere omnibus , ne venefi- cis quidem exceptis , commune est , ut
iis

(1) *De venen. animant. &c. Experimenta ex- citat. Magiotti apud Magalotti. Epist. fam.*

iis ampliori fluidi cuiuspiam moli admixtis, non solum vires magna ex parte detrahantur, sed et immutentur aliquando, diversaeque fiant. Si itaque laxiores in bove ex. gr. canarium diametros exigua occupat veneni gutta, proindeque liberaliori fluidorum moli inseritur, jam toxicci illius vires aliquatenus infringantur necesse est, et in uberrimo humorum circulo veluti diluantur, secus vero, eademque semper proportionum lege in corporibus quibus minori mole, minor insit humorum copia =

Quod si relativa est non absoluta venenorunt vis et facultas, majorque eorum actio, aut per funesta symptomata magis manifesta in corporibus viventibus mole et humorum quantitate minoribus, nonne canes parvi, cuniculi, pulli, aves citius veneno delebuntur, quam homines?

Si

Si quid est tamen quod in vi-
vente animale quorumdam veneno-
rum vim et acrimoniam retundere,
ac fere omnino infringere posse vi-
deatur, morbi sunt et consuetudo.
Illi quandoque ita immutatur humo-
rum animalium crasis, ut antidotum
evadant contra venenum, aut tan-
tam colligant in stomacho viscida-
rum materierum copiam, ut acuta
venenorū ingurgitata spicula obvo-
luta, et prorsus inviscata ad agen-
dum sint imparia. Quae de consue-
tudine in sumendis venenis enarran-
tur tanta sunt, ut prorsus fabulam
sapere videantur. Quis enim crederet
puellam Indicam napello vivere af-
fuetam vitam bene agere, et vene-
nato halitu obvios quoscunque ne-
care? tamen Santes de Ardoynis ex
Aristotele haec narrat. At quanta
haben-

(XLVII)

habenda sit fides Aristotelis observationibus perspicuum omnibus est. Quis anum Atticam Cicuta quam a minima mole edere ceperat vicitasse sine incommodo putet? (1) Quid de Aegyptijs Sacerdotibus religionis specie Cicutam impunè sumentibus? Quid de Turcis opij dosim bene magnam jucunde propinantibus? Quid tandem de illo Juvene dicam (res mira adeo , ut prorsus incredibilis sit) qui ex comedisi araneis voluptatis , aut stultitiae specie illico ad aquam fortem saepissime potandam tamquam ad salutarem medicinam provida natura impellebatur (2).

Ex quibus omnibus deduci posse videtur ea quae vere venena sunt , si viventi corpori , neque morbo ullo ,
neque

(1) Gal. de Simp. med. ex Lindestolpio.

(2) Borelli Cent. 4. obser. 16.

¶ (XLVIII) ¶

neque consuetudine parato minima mole inferantur, ita oeconomiam animalis perturbare, ut necesse videatur in omnibus fere, vel mors contingat, vel gravissimi excitentur morbi.

Cum vero harum Plantarum experimenta instituta sint in animalibus nec veneno assuetis, nec morbo ullo vexatis, et ea ratione instituta, ac instituit Wepferus cum *Cicuta aquatica*, cumque nulla, aut saltem exigua ediderint symptomata, mihi video afferere posse nequaquam venena esse in canibus, pullis &c. in nostra hac Regione. Putasne Lapi ornatissime idipsum affirmari posse de hominibus? Hoc dictu sane est audax, et periculosum, tamen ancipiti hac cogitatione Wepferi exemplum me liberare videtur. Huic relatum fuit duos

duos pueros obiisse, et sex puellas di-
ro correptas fuisse morbo ab usu radi-
cis Cicutae aquaticaे. Tum experimen-
ta suscepta in brutis cum illa Planta
fuere. Haec enecata illico terrifica
symptomatum turba comitante. Ex
his de venefica indole hujus Plan-
tae pronunciavit. Mihi scriptores
multi narrant veneficas fuisse homi-
nibus Toxico-dendron, Belladonam,
Cicutam terrestrem &c. Experimenta
instituo in brutis, vix ullum ve-
neni indicium. Ergo ne concludam,
ut ille, neque hominibus venenatas
esse? Verum potius cum activitate
aliqua polleant non exigua, reducen-
dae esse videntur in eas plantarum
classes, quae a Medicis incidentium,
excitantium, stimulantium &c. no-
mine dicuntur? Profecto symptoma-
ta, quae ex harum usu nostris in ex-

G peri-

(L)

perimentis prodiere paria sunt iis, quae
hujusmodi excitant medicamenta.

Quae si vera sunt ratio afferri
posset quare Cicutae extractum ni-
hil profuerit aegris nostris (nisi for-
te ejus fuerint indolis eorum morbi (1)
qui longiorema medicamenti usum ex-
poscerent .) Non enim forte tanta
activitate praedita est Cicuta nostra,
ac Vindobonensis. Posset ne hic aut
fucci expressi forma, aut decoctionis
vase clauso paratae aegris exhiberi ?
Non repugnarem , subtiliores enim
plantarum partes minus hac metho-
do forte diffiantur. Immo nil obstat
quin aliquis assurgat , si cui vacet
asserere incompta , qui non modo
in cancris , et scrophulis laudet ea-
rumdem herbarum vires , et jubeat
uti , verum etiam in iis omnibus
mor-

(1) Stork. de Cicut.

morbis in quibus lensor, et humo-
rum visciditas dominantur (ut vul-
go dicere consueverunt) et in qui-
bus motus excitandus est, fibrarum-
que augendae oscillationes. Interea
mihi fateri liceat haec omnia, nec
vidisse unquam, neque edoctum his
sermones superstruere, cum praeterea
horum morborum causae veræ me-
lateant, nec profecto cognoverim
quid herbae istae in corporibus ho-
minum valeant immutare. Non ideo
improbaverim centies repetita expe-
rimenta utpote quae sola de rebus
hisce docere possint Medicos. Immo
ad hoc non parum conferre puto
veneni terrorem expulisse. Sed haec
cum vulgo novitatem sariant, exper-
tum postulant Medicum, nomine il-
lustrem, et in arte proiectum.

Novum tamen non est plantas

G 2 in di-

in diversis regionibus diversis pollere facultatibus. Succus enim juccae Americanae, quam mandiocam appellant Barbari, in America nequaquam existialis est, at in Cubae, et Hispaniolae Insulas delata planta humorem fundit venenatum. Napellus Italis in montibus crescens reliquis venenatior reperitur. Coriaria Monspelii omnibus animalibus epilepsiam movet, ut notat Sauvagesius, hic monente clarissimo viro Manetto (1) nequaquam. Nobis vero varia experimenta tentantibus in canibus nihil convulsivi observatum. Multa hujusmodi passim apud Authores habentur, quod Virgilius ipse jam observasse videtur dum cecinit (2).

Nec

(1) In *Viridarium Florent.*

(2) *Georg. lib. 2.*

*Nec vero terrae ferre omnes omnia
possunt*

*Fluminibus salices, crassisque pa-
ludibus alni*

Nascuntur

Quis est vero qui ignoret in collibus, apricisque locis suaveolen-
tia magis esse poma, et pyra quam in vallibus? Uvae alpinae, vina-
que ex his parata quam laete bibun-
tur, quam grata sunt, quam odo-
re, et spiritu caeteris praestant? Al-
pini flores, omnesque plantae quam
fragranti odore a palustribus diffe-
runt? Immo quam immutantur plan-
tae, si ex apricis in aquosas terras
deferantur? Illoco enim acrea flunt
venenatae, et eaedem ipsae si ad sic-
ciora restituantur loca acredinem di-
mittunt. Sic apium dulce est donec
in hortis colitur, fit vero acre nau-
seo-

leosum venenatum si in paludibus sponte crescat. Umbellatae omnes in sicis locis aromaticae, in humidis sunt venenatae. (1) Ex quibus inde argumentum habetur haud dubium assertandi plantarum indolem, et vim saepe ex varietatibus locorum expetendam esse.

Cujus rei causam dum perquirerem nulla mihi visa tutior, magisque rationi, et experientiae analoga, quam quae ex diversitate soli, et climatis desumitur. Certum enim est docente Malpighio (2) singulas plantas peculiari organorum apparatus ab aliis diversissimo exornari. Nil jucundius quam cum illo observare seminum plantarum organa magni-

(1) Friderici Hasselquist in Amoenit. Acad. Car. Linnæi.

(2) Thesaur. Botan. Med. Anat.

gnitudine non modo, sed structura etiam diversa. Pericarpium enim ute-
ri vices gerens quam in diversis plan-
tis differt, quam differunt utriculi,
fibrarumque reticula &c. Quae porro
diversitates luculentius non observan-
tur in planta ipsa? Cutis enim,
ligneæ substantia, medulla, folia, ra-
dices quanto sunt dissimilia? Cana-
liculi substantiam ligneam componen-
tes modo magnitudine, modo nume-
ro, modo implicatione, modo elasti-
citate, eto aliarum plantarum canales
excedunt, modo ab illis superantur.
Cutis saepe utriculorum immensa co-
pia stipatur, magnitudine, et ordine
diversorum. Tandem quaeque planta
diversum præbet machinularum ap-
paratum attente consideranti. Quae
omnia fatis admonent in plantarum
nutritione illi tantum principiorum,
humo-

humorumque generi praeberi aditum
in earundem viscera, quae bibulorum
canaliculorum diametro proprij ona-
lia sunt, quaeque digerentium orga-
norum viribus accommodantur, quod
tibi perspectum erit, si plantarum odo-
rem, et saporem animadvertis.

Verum cum è solo proprium,
ac peculiare alimentum exsugere plan-
tae debeant, cumque observatione
Chymicisque experimentis comproba-
tum sit, non iisdem ubique princi-
piis scatere solum, jam palam est
certis in locis frustra plantas qua-
rere alimentum proprium, aut non
tanta copia habere posse quanta fa-
tis sit, ut integrae, et perfectae suas
exferant vires, vigeant, et crescant.
Terraे color, friabilitas, tenacitas,
pondus, aliaeque hujusmodi qua-
litates diversis locis diversae fatis ar-
guunt

guunt diversitatem partium componentium, quemadmodum ignis Chymicus ~~saltus~~ clare confirmat. Tellus palustris quanta viscidarum, pinguium, crassarumque partium copia non abundant? Quantum marini salis non hauritur ab Oceani oris? Alkalicos saltus, volatiliaque sulphura ea fert terra, quae animalium corpora putrefacta detinuit. Ros tandem e terrae visceribus natus quam differt caeteris in regionibus?

Quamvis autem solum nutriendarum plantarum materiem habeat, nequaquam illis apta erit, nisi prius quasi quadam praeparatione componatur. Cum enim principia quae in solo continentur, nullo, aut exiguo motu praedita sint, connexa simul, et confusa remanent, donec efficaciore solis motu excitata, necnon
aeris
H

aeris elaterio agitata separentur, partim ad radices appulsa exsuguntur, partim vaporis formam acquirentia sursum per aera volitant, ventorumque percussionibus mixta, et temperata iterum in terram deponuntur alendis plantis proportionalia. Perennis videtur hic circulus vaporum sursum evectorum, et in terram redeuntium, uti deciduo quotidie rore aut pluviis, et industria coloni, qui terram vertens aratro, aerique libero exponens feraciorem habet, confirmatur.

Cum vero impetus solarium radiorum, et aeris elaterii non ubique sit idem, non aeque propterea urgebit omne terrestre principiorum genus, neque haec, cum et mole, et figura, et promptitudine ad motum &c. varia sint, aeque commovebun-

buntur, et reliquorum commercio solventur. Quae si quidem levia sunt exiguove praedita contactu extricantur facillime, vimque modicam expostulant. Secus quae gravia, multo^{re} contactu, aut angulis, aut cohaerentium partium glutine, aut alia ratione detinentur. Hinc ea in regione cui praeest clima calidum, credibile est, quoddam parari alendis plantis pabulum tenui, volatile, magisque defaecatum, ubi vero clima frigidum, crassius, heterogeneumque suppeditari. Quae igitur defaecato assueta est, natura sua, succo, planta difficilius sese accommodabit rudi, crassaque nutrimento. Languescet propterea, cum impares habeat vires talē pabulo^m, succumque parum volatilem, parum sapidum, non coctum parabit.

Non solum autem clima diversum virtutem habet varium parandi alimentum plantis in solo, sed etiam magnam partem sibi vindicat illius operis, quod in proprio concoquendo succo impendunt plantae. Nam si solis calor e quo fere semper climatis diversitas, et sulphura subtilia, et volatiles reddit sales, tenujoremque aquam, et terram facit, aerisque variat elasticitatem, et gravitatem, nonne digestio vegetabilium illi subdita erit? Sane haec omnia principia inde activa, vel subtilia fiunt. At vero illis omnibus principiis in se invicem agentibus, et contrariantibus illa obtinetur heterogenei humoris radicibus attracti immutatio texturae, et formae in mollem, tenerum, humidumque succum nutriendis plantis omnino aptum, quod opus concoctio dicitur.

Pro-

Profecto aer unus ex principiis activis , aut per tracheas Malpighianas , aut per radices , aut quopiam alio machinamento exsorptus modo sese dilatando , modo sese constrin- gendo , modo sese ubique miscendo , agitando , impellendo , dividendo ma- ximum opus praefstat in digestione , adeo ut vix quidquam aliud magis cli- matis vicissitudinibus obsecundet .

Sed ut aliquo modo breviter- que appareat quantum aer in plan- tis possit , satis erit observare quid in hominibus et animalibus valeat . Hippocrates (1) observavit constitu- tiones diversi aeris , non solum di- versos morbos , et multos , et ma- gnos producere , sed etiam quam ma- xime influere in diversas staturas , li- neamenta , colores , temperamenta , mo-

H 3 resque

(1) *Lib. de aere, aquis, et locis.*

resque hominum. Hoc diversarum regionum, et climatum incolae Medicis confirmant, et ab Historicis fide dignissimis comprobatur. Animalia certe, et homines ipsi in diversa climata delati, et robur, et mores immutaverunt, sed cur non et plantae, quae tenerae sunt, quaeque semper aeris vicissitudinibus obversantur?

Ex quibus omnibus deduci posse autumo quod cum in Anglia, Pata-vii, Monspelii, Lugduni Batavorum aliisque hujusmodi in locis, et solum, et clima, et aer diversus sit a nostro, ibi diversas obtainere mutationes plantarum succos, proindeque Belladonam, Toxicodendron, Cicutam majorem, Coriariam, et caetera diversimode affici, et inde humores parare efficaciores, venenosos. Historiae certe magnum addunt pon-

pondus dubitationi huic nostrae.

Scio tamen ob anni temporum varietatem plantas in uno eodemque climate novas subire posse mutationes. Solent enim, ut ait Boyleus, aetatis temporibus peculiaris indolis exhalationes suscitari e terrae superficie vegetabilibus noxiae, et animalibus. Imo illud est quod aliquando epidemico, et pestilentiali venturo morbo supervenire solet. Sane in Anglia observatum aliquando est, et si his miris prorsus eventibus non praefuerit, tamen affirmare audet Lindelolpius, carotae luteae radicem ante pestilentiam venturam fastidiose dulcem fuisse, idque putat evenisse sulphure quodam excitato, arsenicale supremum terrae corticem tenente, quodque radicibus plantarum attrahit earum succum vitiasset. Quamvis

vis favente Supremo Numine hujusmodi infelices constitutiones nostra hac aetate non contigerint, tamen irregulares adeo sunt, subitaeque aeris mutationes hac nostra in Regione, ut semper suspicatus fuerim magnam habere posse partem in hac tanta nostrarum plantarum humorum diversitate. Frigidae enim, et calidae, humidaeque se invicem subitaeque excipientes aeris constitutiones agere possunt, ita ut fluida plantarum concrescant, et solida angustiora reddantur, minusque cedentia, et circuitus perturbetur humorum, aut ut fluida solvantur nimium, propriamque amittant tenacitatem, et perspirationis organa adeo referentur, ut quidquid subtilius, quidquid volatile est diffletur, crassiusque remaneat, non concoquendum solidis calida,

lida, et hūmida constitutione relaxatis. Quae tum impedimenta libero humorum motui? Quantae mutationes in plantarum succis non eo instituto, ac ordine elaboratis, quo natura cōstituerat? Iis in cōstitutionibus examini subiciendarum plantarum virtus experimentis dignoscenda foret. Verum cum hujsmodi observationes in plantis instituendae annos expostulent, nos temporis brevitate haec suspicatos fuisse satis modo judicamus. In posterum, Deo annuente, aeris notabimus constitutiones, iisdemque variantibus experimenta instituemus, ut si fieri possit, clarior res fiat quo ad per nostros labores, et assidua studia licuerit, Chymicam etiam analysim, quamvis minus tutam, non omittam, sicut et persequar nonnullas observationes perficere quas anno superio-

periore inchoavi, sanguine animalium
diversis vegetabilium succis mixto, ut
si fieri possit sine Chymico igne ve-
getabilium principia cognoscam, et
eorum naturam, et activitatem per-
spectam habeam. Vale.

F I N I S.

